

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3244

**Auteur(s) :** Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Roger, Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1153

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Hugues (III), archevêque de Rouen, fait don à l'abbé Roger et à Saint-Wandrille de l'abbaye de Saint-Saens qu'il a arrachée au seigneur du château de ce nom. Il en énumère les possessions et concède, en outre, l'église de Grainville, longtemps et illégalement retenue entre des mains laïques.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta Ecclesiae Rotomagensis, n° XXII, col. 24-25.
- b. Lot Ferdinand, *Études critiques sur l'abbaye de Saint-Wandrille*, Paris, Champion, 1913, n° 84, p. 147-150.

Texte établi d'après b

HUGO, DEI GRATIA ROTH. ARCHIEPISCOPUS, DILECTO FILIO ROGERO FONTANELL. ABBATI EIUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IMPERPETUUM. Pontificalis cura nos admonet et deuota filiorum nostrorum compellit peticio ut ea que locis religiosis discreta consideratione contulimus nostre auctoritatis munimine imperpetum duratura firmemus. Hoc siquidem pia prouisione antiquorum patrum consueuit benignitas ut bona ecclesiastica auctorum suorum memoriam uiridi obseruantia representent et contra prauorum hominum infestationes ex pontificali attestazione robur et tuitionem obstineant. Ea propter, dilecte in Domino fili Rogere, Fontanell. cenobii abbas, personam tuam religionis et scientie gratia decoratam paterno affectu complectimur et gregem tibi commissum tanquam deuotos filios diligere et honorare intendimus. Unde bona uestra que inpresentiarum, Deo auctore, possidetis uel in futurum modis rationabilibus poteritis adipisci sigilli nostri attestazione firmamus et sub nostra et Roth. ecclesie protectione suscipimus. Inter que ea propriis nominibus exprimenda duximus que nostri pontificalis tempore et nostra largitione propria accipere meruistis. Ecclesiam igitur beati Sydonii que a multis retroactis temporibus desolata extiterat et laicali tyrannide ex praua consuetudine premebatur, de manu domini ipsius castri ecclesiastica censura extraximus. Quam, communicato fratrum et filiorum nostrorum consilio, ad reformandum in ea religionis ecclesiastice statum tibi, Rogere abbas, et æclæsie tue custodiendam, reformandam et iure stabili imperpetuum possidendam concessimus, statuentes ut beati Sydonii ecclesia cum pertinentiis suis ad sollicitudinem et dispositionem tuam pertineat, saluo in omnibus iure pontificali vel parrochiali. Hec autem que subnectimus bona sunt ipsius ecclesiæ, uidelicet : decima totius parrochie tam in terris quam in hortis et in molendinis, et decima censuum et thelonei et unum molendinum proprium et hortus molendini et gardinum proprium ipsius domini Mathei ex donatione sua monachis in elemosyna concessum, et decima furnorum tam inpresentiarum existentium in villa Sancti Sydonii et Osmunuille quam in posterum faciendorum, et decima uivarii, et decime campartorum et censuum in Hers. In Casneio totum feodum Restoldi de Druella tam in terris quam in silua cum hospitibus apud Rouill. ; de feodo Roberti Harenc decima

unius molendini et unus hospes et unus campus. Apud Sanctum Sydonium terra quam dedit Ric. prepositus iuxta castellum et campus Presoldi. Apud Huhanmaisnil II<sup>o</sup> orti et III<sup>or</sup> acre terre, super quarariam III. acre in ualle Benedicti, acra terre I. super molendinum presbiterorum, due acre et campus Abeline. Apud Tiliam, unus hospes et decima molendini. Apud Bussoriam due garbe de feodo domini Sancti Sydonii et decima molendini et sedes grancetiæ. Apud Osmunuill. II. hospites et campus olcorum et decima omnium molendinorum et censuum et duo alii campi. Apud Bellomontem due garbe de feodo domini Sancti Sydonii. Apud Sanctum Martinum album due garbe de eodem feodo. Apud Brichennie V. sol. de duobis uauassoribus et de uno eorum seruitium equi I. de feodo Osmundi. Apud Nouum Boscum XV. solid. in ecclesia et cantuaria et unus hospes. Apud Bonum Maisnil duodecim sol. in ecclesia et cantuaria et unus hospes. Apud Sanctum Germanum, in ecclesia V. sol. et due garbe de feodo domini Sancti Sydonii et de duobus hospitibus V. sol. et VI. capones. Apud Uadum decima de feodo Augi. Rursus in Casneio due garbe de feodo Fuele. Apud Spinetum due acre de feodo Guadini. Apud Puteol. VI. acre et ibidem II. acre de feodo Hug. Holardi. Apud Freauuill. tota decima de feodo domini Sancti Sydonii, et decima molendini et unus hospes et sedes gra[ncee]. Apud Novamuillam dimidia ecclesia et dimidia decima et sex solidi in ecclesia. Apud Basleium dimidia ecclesia et dimidia decima et decima molendini et unus hospes. Apud Eschecheuillam ecclesia cum tota decima et quedam mansura III<sup>or</sup>. acrarum terre et due alie acre et duo hospites et decima molendini. Rursus apud Huhanmaisnil tota molta, et similiter apud Perditam uillam molta. Item apud Sanctum Sydonium molta territorii ubi viuarium factum est et molta de feodo Gunduini et molta mansionis Guillelmi Rosselli. Preterea ecclesiam de Greinuill., quam multo tempore manus laica uiolenter occupatam tenuerat et contra sacrarum institutionum decreta ab ecclesiastico jure priuauerat, nos eam ad sortem sanctuarii Dei reducentes tibi, Rogere abbas, et ecclesie tue cum prebendis et terris et omnibus ad eam pertinentibus imperpetuum possidendam concedimus et presentis scripti nostri auctoritate firmamus. Haec et que iusta sunt conseruantibus sit pax et misericordia a Deo patre nostro et domino Jhesu nostro, ut et in presenti de fructu pie operationis gaudeant atque in futuro pietatis diuine mansuetudinem et gratiam eterne consolationis inueniant. Si quis autem aduersus ista que nos, paci posterorum prouidentes, legitime firmauimu saliqua fraude uel malignitate uenire attemptauerit uel attestationis nostre munimentum temerare presumpserit, in presenti traditus angelo [Sathane diu]ine subiaceat maledictioni et, nisi penitens cito resipuerit atque ad satisfactionis remedium conuolauerit, percellat eum in die furoris Domini animaduersio eterne ultionis. Actum est hoc anno Incarnati uerbi, M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LIII<sup>o</sup>, regnante in Frantia illustri rege Ludouico, principante in Normannia nobilissimo duce Henrico.

(1re col.) Ego HUGO Dei gratia Roth. archiepiscopus s[ubscripsi] †, Ego Philippus Baioc. episcopus s[ubscripsi] †, Ego Arnulfus Lex. episcopus s[ubscripsi] †, Ego Rotrodus Ebroic. episcopus s[ubscripsi] †.

(2e col.) Ego Egidius archid. s[ubscripsi] † Ego Gauf. decanus et archid. s[ubscripsi] †. Ego Osmundus archid. s[ubscripsi] †. Ego Rad. thesaurarius s[ubscripsi] †.